



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philomathi Mvsae Ivveniles

Alexander <VII., Papst>

Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645

In Volvmen Hoc Poematvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12750

IN VOLVMEN HOC POEMATVM.

Seu te cura vetus retinet, non dicier, **Hic est;**
 Nomine, sive placet, nolle placere tuo :
 Euge tamen, nos, cura recens tua, dicimus, **Hic est :**
 Quisquis es, Aoniis digne libelle Sophis.
 Ergo vel Amstelio te trade nec agnite cælo,
 Quin tua dic vel aquis, dic abolenda foci.
 Non sinat hoc, numeris liber annumerande Maronis,
 Tota Hippocrenes Cæsaris urna chori.
Ipsa vetat, seu Bilbilico sive æmule Flacco,
 Gloria Maphææ non moritura lyræ.
 Quam juvat, & volupe est in vate inquirere vatem,
 Atque verecundam noscere velle sitim,
Qua sacrum largis siccata Permessida labris !
 Quamque pium, famæ non dare vela suæ !
 Docte Catulle, argute Tibulle, proterve Properti,
 Vos vates, nobis, garrula amica dedit :
 Utque suæ vires ferret roburque Thaliæ,
 Quondam Bilbilico vox ea, Da, quod amem.
 Non ita : sed, victura sones ut plectra, libelle,
 Vox tua personuit, Da, quod amo, Tacear.
 Inlaudes, Philomuse, tuas, amor ibat & ardor :
 At tacitum ut redames, do, quod amas, Taceo.

I. R. INGELEVS.

M 3

Magne